

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0559

0557

0563

0553

0568

0548

0608

0508

0658

0458

1058

0058

Ende

Anfang

544

suspicabatur sibi cecidisse pecuniam, festinavit et nos peregrini cum eo; quaequivimus autem, sed non invenimus, vestigia omnia sui transitus lustravimus, sed in vanum laboravimus. Sciebat autem pro certo, sibi pecuniam solum in illo loco cecidisse. Locum ergo circuimus et arenas manu evertimus et observavimus, ne Arabes, vel camelarii, aut asinarii, quos fures esse saepe deprehendimus, accederent; sed dum diu solliciti quaesivissemus et nihil invenissemus, pecuniam inventam esse et sublatam ab aliquo Arabe vel asinario judicavimus et habita inter nos deliberatione, quomodo rem agere vellemus, ut pecuniam rehabere possemus, optavimus licitum fore, mittere sortes et per sortes inquirere, sicut Josuae VII. Achas fur inventus est et Jonathas esum accipiens, 1. Reg. XIV. Sed non licuit in hoc casu sortem mittere, quia prohibitum Extr. de Sortil. C. 1. Cogitavimus ergo et conclusimus, quod omnes Arabes, camelarios et asinarios, qui erant nobiscum, vellemus in unum (b) congregatos obsecrare, ut restituerent pecuniam, quia si sponte tradere nollent, tunc contra eos vellemus insurgere, captivare, nudare, percutere, torquere et castigare, donec redderent; eramus enim plures quam ipsi et magis dispositi ad inferendam vim. Sic consilio concluso ascensis asinis praecedentes camelos secuti sumus cum tristitia, ira et indignatione et ad eos venientes torvis vultibus eos respeximus Calinoque diximus intentum nostrum; quod dum audivisset Calinus, turbatus est et convocatis omnibus, quos suspectos habuimus, petivit opportune et importune, restitui aurum inventum. Sed non erat, qui verum responderet. Nos etiam eos rogavimus, ut traderent et inventori munus promissimus, sed nihil profecimus; sic ergo amaricati et commoti processimus et minas eis dedimus eosque pros ernere conati sumus et onera dejicere, et milites evaginatis gladiis stabant et nullum praeterire permittebant. Videntes autem camelarii et asinarii serum nostrum et quod importunius ageremus, stupefacti sunt, petentes Calinum, ut sedaret fuorem nostrum, ne innocentes violentia turbarentur. Quibus Calinus intentum nostrum exposuit, dicens, quod primo vellemus ominem supellectilem eorum in camelis et asinis evertere et perscrutari et, si pecuniam non inveniremus, in eos vellemus irruere et usque

